

Q. H. 340, 4.

(X1860435)

T. 140

II f
98

Q. D. F. S. G.

DE

SYNCRETISMO
PHILOSOPHICO,

IN

ILLUSTRIS GEDANENSIIUM ATHENÆI

AUDITORIO MAXIMO

PRÆSIDE

DN. JO. CHRISTOPHORO

ROSTEUSCHERO,

Phil. Primæ & Pract. Profess. Ordin.

& Reip. Bibliothecario

FAUTORE SUO AC STUDIORUM PRO-

MOTORE ætatem devenerando

Disputabit Solenniter

JOHANNES VOGETIUS, 113

Gedanensis,

AUCTOR & RESPONDENS

D. XXIII OCTOB. A. O. R. M. DC. XCI.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA



GEDANI,

Typis DAVIDIS FRIDERICI RHETII.

9. 10.



V I R I S

MAGNIFICIS, PER QUAM GENEROSIS, MAXIME
STRENUIS,

DN. CHRISTIANO SCHROEDERO,

Inclytæ Reip. Ged. Præsidi, Præconsuli Seniori & Proto-Schol. eminentissimo.

DN. DANIELI SCHLIEFFIO,

Ejusdem Reip. Consuli & Scholarchæ gravissimo.

NOBILISSIMO ITIDEM, AMPLISSIMO, CON-
SULTISSIMO,

DN. ANDREÆ BORGMANNO,

Dicasterii civitatis primariæ Assessori prudentissimo,

Ut &

NOBILISSIMO, EXPERIENTISSIMO, EXCELLENTISSIMO,

DN. OTTONI DIETER. VOEGEDING,

Medic. Doct. & Reip. Proto-Physico celeberrimo.

PLURIMUM REVERENDO, AMPLISSIMO, CLARISSIMOQUE,

DN. M. ANDREÆ GNOSPPIO,

Ad S. S. Trinit. Archi-Diacono vigilantissimo.

Nec non

NOBIL. AMPLISS. SPECTATISSIMISQUE,

DN. JOHANNI à BODEK,

Quartarum Magistro & templi primarii Antistiti.

DN. CHRISTOPHORO HEINIO,

Centum viralis Collegii Assessori, Avunculo suo honoratissimo.

DN. MICHAELI SCHWANZEESEN/

Ejusdem Collegii Assessori.

*Dominis Patronis, Evergetis ac Fautoribus maximis
omniq; obsequii cultu prosequendis.*

Disputationem hanc Philosophicam observantissimè inscribit, suaque studia
ipsorum benevolentia submissè consecrat

Devotissimus cliens

JOHANNES VOGETIUS, Godanensis.

§. I.

Nvisum aliàs Orthodoxæ Ecclesiæ nomen Syncretismus est, nec immeritò. Ex quo enim illud à Politico sensu, quem *Plutarchus* exponit in *lib. περὶ τῆς Φιλαδελφίας* (a) ad dogmata Ecclesiastica à *Pareo* (b) imprimis deductum translatumque fuit, talem potissimum diversorum dogmatum mutuam tolerantiam ac dissidentium animorum fucatam coalitionem indigitare cœpit, quæ cum salute ac utilitate veræ Ecclesiæ consistere nequaquam potest. Ut proinde *B. Danhauero* ejusdem descriptionem tradenti (c) in genere *confusio* audiat *religionum & cultuum à ratione carnali intempestivo pacis studio nata imprudens ac fæda*. Dedecet enim omninò hominem verè Christianum omnis commixtio ac intempestiva concordia cum iis dogmatibus, quæ divinam veritatem evertunt, atque ab unicâ salutis nostræ norma, revelato videlicet verbo longius discedunt. Quin potius illud *Isidori Pelusiote* (d) hic locum invenit: *ἔστι καὶ πόλεμος & εὐαγῆς καὶ εἰρήνη πάσης ἀσπόνδης μάχης ἀργαλεωτέρα*. Est & *bellum sanctum & pax omni implacabili pugna difficilior*. Quibus gemina habet *Gregorius Nazianzenus* (e) *melior est contentio pietatis causa suscepta, quàm turpis & vitiosa Concordia*, cujus generis plura ex Patribus testimonia collegit *Andr. Scotus* (f). Sunt nimirum duæ amicæ ac geminæ Sorores *Veritas & pax*, ex quibus hanc ad nos venturam

A

non

(a) *Tom. 2. opp. pag. 490.* (b) *In Irenico cap. 12. pag. 66.*
 (c) *In Mystério Syncretismi detecti p. 6. & Mystérios. pag. 9.* (d)
L. b. 4. Epist. 36. (e) *Orat. 1. de Pace.* (f) *In adagialibus sa-*
eris pag. 32.

non esse contendebat olim *Balthasar Lydius* (g) si sororem ejus, veritatem, non dilexerimus, quippe quam sacer codex eleganti quidem ac stabili nexu jungit Concordiæ, ut tamen veritatem illi disertè anteponat. (h) Quamquam verò ista in foro Theologico ita se rectè habeant, & in cassum laborent, quotquot in rebus fidei tum veteri tum recentiori ætate Syncretismum aliquem stabilire amant, prouti illud latius deduxerunt nostrates Theologi, utrum tamen in humanæ sapientiæ foro Syncretismus omnis prohiberi possit aut debeat, non immeritò ambigimus. Ut enim in amplissimo Philosophiæ regno sentiendi libertas longe major est, quæ sententiarum etiam de rebus ad Philosophiam pertinentibus quamplurima peperit divortia, ita improbandus forte nequaquam illorum labor est, qui in tanta tum verè aliquando tum plerumque apparenter dissidentium opinionum farragine de Auctorum sententiarumque debita ac convenienti conciliatione solliciti esse cupiunt. Facem sane in hoc studiorum genere ante annos haut ita multos prætulit celeberrimus ille ac elegantissimus inter Gallos Philosophus *Joh. Bapt. du Hamel*, qui in eruditis de consensu veteris & novæ Philosophiæ libris id agere potissimum voluit, ut extremas hinc inde dissidentium opiniones ad justum temperamentum adducere, easque demum, quæ non tam inter se dissident, quàm primo aspectu videntur, ut fieri optimè posset, consonas sibi reddere tentaret. Quam laudandam industriæ rationem imitatus deinceps est singulare illud *Altorffinæ* Academiæ orbisque eruditi omnis decus *Joh. Christoph. Sturm*, qui hoc nomine Physicæ

Con-

(g) *In actis Synod. Dordr. edit. Han. p. 4. cap. 8. vers. 19.* (h) *Zach.*

Conciliatricis conamina haud ita pridem publici juris fecit, in quibus id omni conatu studioque egisse se scribit, (i) ut in gratiam si fieri posset, & quoad ejus fieri posset, tam veterum quam Modernorum placita universa reduceret, id quod non solum civilitatis esse & humanitatis sed scientiarum augmentis immane quantum prodesse posse firmiter sibi persuasum habere ibidem publicè profitetur. Quàm etiam in specie optimo & rei literariæ utili consilio nonnulli hætenus in Aristotele cum recentioribus conciliando laboraverint ex iis, quæ acutissimus *Thomas Angelus* ad mentem tamen illustris *Digbæi*, itemque *Joh. de Raet* Lugdunensium olim, post Amstelodamensium Professor in Clave Philosophiæ Naturalis Aristotelico - Cartesianæ, cui geminum scriptum Compendium illud vocans *Physicæ Aristotelico - Cartesianæ* edidit *Joh. Henricus Svicerus*, & haud ita pridem novissimus scripti *Nizoliani* de veris principiis & verâ philosophandi ratione Editor in Epistola operi illi præmissâ, de *Aristotele recentioribus reconciliabili*, publicæ luci commiserunt, abunde satis constare potest. Honoratus, etiam *Fabri* Philosophus Gallicanus quem *sublimis judicii Virum magnæque experientie* vocat *B. Dn. Morhofius*, (k) utut à latere Aristotelis haud facilè discedere soleat, eo tamen neminem feliciter *Peripateticæ Physicæ Principia cum recentioribus conciliasse* judicat *idem*. (l) Talem verò conatum conciliandi ac benigna interpretatione vestiendi diversorum Philosophorum dogmata, quòd *Syncretismi* nomine ex recepto hodie vocabuli istius usu insigniverimus, B. L. benignius interpretaturum esse confidimus, cum jam olim

A 2

magnus

(i) In *Prefatione*. p. 9. (k) In *Dissert. de Sole igneo*
 §. 6. (l) *loc. cit.*

magnus ille in Academia quondam Lipsiensi Polyhystor
B. Thomasius consimile Argumentum tractaturus, oratio-
 nem de *Syncretismo Peripatetico* inscriptam erudito orbi
 communicaverit. (m) Hujus itaque summi viri ductum
 licet passibus haud æquis & nos impræsentiarum secutu-
 ri de *Syncretismo Philosophico* i.e. de modo dissidentes quas-
 dam inter se opiniones, quarum Philosophia & in specie
 Physica feracissima est, conferendi ac conciliandi non-
 nulla exercitii gratia adjuvante divino Numine differere
 constituimus, B.L. rogantes, ut, quæ fortè in hac com-
 mentatione desideraverit plurima, tenuiori nostro appa-
 ratui, & festinatæ operæ condonare haud gravatim di-
 gnetur.

§. 2. Eo ipso verò, quod de Philosophico Syncreti-
 smo dicturos nos esse professi sumus, cancellos nobis ac
 limites definivimus, ultra quos egredi integrum nobis
 haut erit. Nihil itaque nobis negotii erit cum illa com-
 mixtione, aut Syncretismi ratione, quæ res fidei ac Theo-
 logicas cum Philosophicis conjungit, sive illud fiat legiti-
 mè, sive illicitâ quadam ac indecenti ratione. Legitime fa-
 tis ac convenienter Syncretismus ille instituitur, quando
 vel Termini Philosophici ad explicandas res superioris
 ordinis instrumentorum instar usurpantur; vel integræ
 etiam propositiones ac principia Philosophica non qui-
 dem fidei stabiliendæ, sed consequentiæ cognoscendæ
 causa adhibentur. Prius egregiè præstitum ab iis, qui
 usum Terminorum Philosophicorum legitimum demon-
 strârunt dilucidè ut *Meisnerus*. (n) *Calovius*, (o) *Keslerus*,
 (p) *Men-*

(m) Anno 1664. die 28. Junii. (n) In *Philosophia So-*
bria. (o) In *Metaphysica divina*.

(p) *Mentzerus* (q) *Rudrauffius* (r) *Meyerus* (s) *Scheiblerus* (t) aliique. Equidem optandum foret ut nec ipsa hodie Philosophandi ratio tot forte supervacuis & barbaris abundaret Terminis, de quibus jam olim conquesti sunt plurimi, utpote *Johannes Picus Mirandulanus* & *Hermolaus Barbarus*, quorum in hanc rem *Epistolas Amoeboeas Philippus Melancton* in Germania edi curavit, *Quærenus* (u) *Albertus de Albertis* (x) *Melchior Inchover* (y) *Joachimus Vagetius* (z) *Christophorus à Capite* (aa) *Christianus Bekmannus* & *Isaacus Clauderus* (bb) nec non *Hobbefius* (cc) & *Marius Nizolius* (dd) ejusque novissimus editor. (ee) Ita enim forte nec in rebus Theologicis cum Terminis aliquando Philosophicis conflictandum foret, at postquam usus jam introduxit aliud, & adversariorum eò cogat irrefragitias, ut dextrè tamen ac citra veritatis divinæ præjudicium Termini isti adhibeantur, attendendum maximè erit. Posterius imprimis se exferit in quæstionibus mixtis, in quibus scilicet alter Terminus è Philosophia, alter è Scriptura petitus est, ubi conjunctio utriusque principii in Syllogismo improbari non solet, ita tamen, ut Conclusio divinæ veritatis esse censeatur, id quod contra novos Methodistas, *Franciscum Veronium* Jesuitam

A 3

Parisi-

(p) *In Exam. Metaph. Photinianæ.* (q) *De Terminorum Philosophorum usu in Theol. Tom. 1. operum pag. 60.* (r) *In Philosophiæ Theol. ancillan.* (s) *In Metaph. Divina.* (t) *In Opere Metaphysico, præfat. pag. 5. 6. 7.* (u) *de Eloquentia Philosophi.* (x) *de actione in Corruptiores Eloquentiæ.* (y) *De sacra latinitate.* (z) *De Stylo.* (aa) *De Necessaria correctione Theologiæ Scholasticæ.* (bb) *De Barbarie superiorum Temporum.* (cc) *In Computatione seu Logica part. 1. cap. 3. p. 17.* (dd) *lib. cit. de veris principiis Philosophandi contra Pseudophilosophos.* (ee) *In præfatione,*

Parisiensem in Methodo nova & facili hæresin ex fundamento destruendi, quam è gallica latinam fecit *Remaclus de Vaulx*, ejusque Methodi Compendio, Cathechismo Bayliano aliquoties subnexo, nec non *Bartholdum Niehusium* Apostatam, fratres itidem *Wallenburgios* diversum sentientes, demonstrarunt satis *Hulsemannus* (ff) *Danhauerus* (gg) *Felvingerus* (hh) *Calixtus* (ii) *Rudrauffius* (kk). Malè interea ac indecenter Syncretismus ille Philosophico-Theologicus instituitur, quoties vel Termini Philosophorum technici ad turbandos Sacræ Theologiæ circulos temerè adhibentur; vel dogmata soli lumini gratiæ pervia cum gentilis Philosophiæ placitis perperam commiscantur. Illud quotidie ab iis fieri solet, qui terminos dependentiæ, causæ per accidens, conditionis sine qua non, causæ moralis, denominationum extrinsecarum &c. crepant promiscuè, atque in Artic. de Trinitate de Peccato, Justificatione, Conversione, Communicatione idiomatum &c. perperam applicant, de quibus sigillatim vid. *Rudrauffium*. (ll) Quod autem ad posteriorem modum attinet, in introducendo tali Syncretismo, laborârunt non tantùm recentiores quidam, utpote *Gvilielmus Postellus*, Matheseos in Academia Parisiensi Professor Regius, qui ut quatuor *de Orbis Terra Concordia* libros edidit, ita in eorundem primo *religionis Christiane placita rationibus philosophicis docere* præsumsit, aliique, quorum numerus jam tum alibi initus est (mm); Sed jam

(ff) *In Dissert. de Methodo Augustiniana.* (gg) *In Dialectica sacra.* (hh) *In Examine Augustiniana Methodi.* (ii) *In digressionem de arte novâ.* (kk) *In Phil. Theologica. part. 2. p. 13. & seqq.* (ll) *In Philosophia Theologica.* (mm) *In dissert. Dni Præsidis de Immoderata Philosophi Curiositate. §. 4.*

jam sub initium nascentis Ecclesiæ eò plurimorum tendebat opera, ut institutâ infelici inter Christianismum & Platonismum mixturâ gentiles eò facilius ad subeundum Ecclesiæ gremium invitarent. Specimen sane istiusmodi mixturæ præbuit Autor ille *Pymandri*, quisquis etiam fuerit, *Hermetis Trismegisti* nomine clarus, quem licet *Augustinus* (nn) & novissime *Athanasius Kircherus* (oo) & *Hannibal Rosselius*, qui librum denuò cum Commentario edi curavit, magni fecerint, adulterinum tamen opus esse, & sub calcem primi, vel secundi Seculi initium, piâ quadam fraude (siquidem talis datur) sub nomine isto ab admiratore quodam Platoniciæ Philosophiæ Christiano suppositum esse existimamus, præeuntibus in hâc judicii ratione *Chemnitio* (pp) *Roberto Coco* (qq) *Danhauero* (rr) *Hermanno Conringio* (ss) *Hermanno Witsio* (tt) *Petro Dan. Huetio* (uu) *Bebelio* (xx) & *Oleario* (yy). Pertinet huc irritus etiam conatus illorum, qui ex nimio ergà Aristotelem amore non tantum eum erroris omnis immunem esse pronunciant, cujusmodi exemplum exhibet *Gassendus*: (zz) sed & sicubi manifestè in revelatam veritatem homo videlicet gentilis impegit, contortis explicationibus ac interpretationibus institutis, asserta ejus cum sacris literis conciliare modis omnibus laborant, quos justa censurâ excepit celeberrimus *Thomasius* (aaa)

insuper

(nn) *De Civit. Dei lib. 10. cap. 23. seqq.* (oo) *In Oedipo Ægyptiaco Tom. 2. Classe. 12. pag. 490. & seqq.* (pp) *Parte 4ta Exam. pag. 209.* (qq) *In Censura pag. 34.* (rr) *In Christeide pag. 887.* (ss) *In Medicina Hermet. lib. 1. cap. 4. & 5. & pag. 39. usque ad 47.* (tt) *In Ægyptiacis lib. 2. cap. 5. pag. 91.* (uu) *In demonstrat. Evangelicis pag. 112.* (xx) *In Antiquitate Trifeculari pag. 5.* (yy) *In Abaco Patrum pag. 266.* (zz) *In Exercit. paradox. 1. pag. 111.* (aaa) *In citata Orat.*

insuper reprehendens eorum operam, qui per universam Philosophiam Platonem cum Aristotele conciliare student, in quo ingenium aliàs suum exercuit *Jacobus Carpentarius* in Commentario ad Alcinoi Institutionem Platoniam, quem Platonis cum Aristotele in universa Philosophia comparationem appellat. Nec ipsis etiam Cartesianis, utut in defendendis Antesignani sui Principiis sedulos sese præbeant, & industrios, placere potuit temerarius ille *Amerpoëlis* (bbb) syncretismus, quo contra sententiam forte ipsius Cartesii, cui ne quidem per somnium illud in mentem venisse arbitratur clariss. Morhofius (ccc) è primis Geneseos Capitibus Hypotheses ejusdem de structura mundi deducere ac demonstrare annititur, contra quam sentit cum *Claubergio* (ddd) *Suicerus*, (eee) qui ut omnem vel impietatis vel temeritatis suspicionem ab hac Cartesii hypothesi removeret, maluit distinguere inter ordinem creationis, quem à Cartesio expressum esse negat, & ordinem concipiendi tantum, licere utique ratus homini, quò intellectus sui imbecillitati consulat, in partes secare, quæ simul comprehendere nequeat, & talem concipiendi ordinem sequi, qui legibus naturæ fit conveniens, licet Deum ipsum in primâ operis productione ordinem hunc non observâsse, probè norit, & inviolata fidei persuasionem teneat.

§. 3. Cæterum ut vulgò juxta tria genera mixtionum, quæ Philosophi excogitarunt, apud Theologos etiam Syncretismus in Absorptivum, Temperativum & Confer-

(bbb) *In Cartes. Mosaizante. conf. disp. Dni. Præsidis de immoderata Curiositate, §. 4. pag. 21.* (ccc) *In Polyhistore lit. lib. I. pag. 247.* (ddd) *Disput. Phys. 30.* (eee) *In Physica Aristot. Cartesianæ.*

Conservativum dispesci solet, quo de conf. *Danhauerus* (fff) & *Maresius* (ggg): ita fortè haud incommodè eadem ad forum etiam philosophicum accommodari queunt. *Absorptivus* alias *Syncretismus* in rebus Theologicis vocatur ille, cùm pensiculatis utrinque diversæ religionis placitis tandem debellatur propria, cui addictus quis fuit, religio, & nova fabricatur. Affinis huic studio in Philosophicis illorum labor est, qui conquisitis hinc inde ex Autorum libris opinionibus, dissimulato eorundem nomine & suppressis cautè eorundem inventis, novum inde Philosophiæ Systema extruere ac fabricare præsumunt. Genus istud *syncretismi* imputari communiter solet ipsi met *Aristoteli*, qui conquisitis undique Philosophorum scriptis, & selectis inde, quæ optima sibi esse videbantur, novam postea Philosophiam se condidisse professus est, absorptâ & oppressâ studiosè aliorum, quos præeuntes habuerat, fama ac nomine, prouti illud refert *Athenæus*, (hhh) si modò vera sunt, quæ huic insigni Philosopho ab invidis fortè scommata impinguntur, qualia etiam alia ipsi passim adscribi solent, ut quod Deum nec coluisse nec curâsse (iii) Sacra fecisse *Hermie scorto* (kkk) *Magicis oraculi Pythii artibus adjutus Philosophiam conscripsisse* (lll) *ex infelici milite Pharmacopolam aliquamdiu egisse* (mmm) imò oleum quo semel jam lotus erat, civibus suis vendidisse, scribitur (nnn) & quæ his sunt similia,

B de

(fff) *In Mystero Syncretismi detecti sect. 2.* (ggg) *Disput. de Syncretismo & reconciliatione partium dissentientium in Religione.* (hhh) *In Deipnosophist.* (iii) *apud Lactant. lib. de Ira Dei.* (kkk) *Juxta Aristippum ap. Laertium lib. 5. de vita Philosophorum.* (lll) *ap. Ammonium cit. Borrichio in Hermet. Aegyptiorum pag. 238.* (mmm) *apud Athenæum in Dypnosoph. l. 8. c. 11. & Aelianum de var. hist. l. 5.* (nnn) *apud Laertium l. 5. de vit. Philos.*

de quibus hic *ὡς ἐν παρρησίᾳ*, conquista aliàs sedulò à flagellatoribus Aristotelis Gassendo (ooo) & Olao Borrighio (ppp). Utrum etiam in eundem censum referri, & tentati istiusmodi syncretismi absorptivi nomine conveniri possit, *Nobiliss. Cartesius*, aliorum iudicio committimus. In Doctrinâ quidem de *Methodo* (qqq) postquam diversas se Philosophorum opiniones studiose contulisse scripsisset, novam inde meditatus philosophandi rationem, nihil se melius facere posse iudicavit, quàm si omnes simul & semel è mente sua deleret, ut deinde vel alias meliores, vel certè easdem, sed postquam maturæ rationis examen subiissent, admitteret, credebatq; hoc pacto, longè melius se ad vitam regendam posse informari, quàm si veteris ædificii fundamenta retineret, iisque tantùm principiis inniteretur, quibus olim juvenilis ætas sua nullo unquam adhibito examine, an veritati congruerent, credulitatem suam addixerat.

§. 4. Quod ad Temperativum Syncretismum attinet, Theologis ille describitur, quod sit, qui diversissimas sectas hostili odio semet prosequentes, opinionibus per graduum remissionem temperatis sub unam religionis formam redigit. Hic uti in foro isto in vitio meritò esse censetur, ita num pari loco in Philosophicis habendus sit, dispiendum nobis in præsentis est. Etenim cum multæ ibidem opiniones aliquando vere diversa, aliquando apparenter talia complectentes occurrant, in quas proinde quadrat illud *Aristotelis* (qqq) *quædam reverà id esse quod videntur, alia tamen videri, quæ tamen non sunt*, illæ verò omnes
res

(ooo) *Exercit. 3. adv. Aristot. Opp. T. I. f. 117.* (ppp) *In sapientia Hermetis, pag. 236. seqq.* (qqq) *pag. m. 8. & 11.*
(qqq) *In Elenchis Sophist. lib. I. c. I.*

res naturales ac similes intellectus nostri scrutinio subje-
ctas concernant, nihil quidem nos prohibere poterit, quò
minus in conciliandis illis, quoad quidem veritatis pati-
tur natura, operam aliquam impendamus. *Haud in om-
nibus* scribit in hanc rem verè Cl. *Sturmius* (rrr) *qui diver-
sa sentiunt, statim & ubique dissentiunt, nec tota protinus via
aberrant à vero cognoscendo, quos aliquod forte diverticulum
tantisper seduxit, cum nulla ferè sit Philosophorum Secta, quæ
id, quod verum est aliqua ex parte non cernat, judicante eti-
am Hamelio* (sss); ecquis itaque negaverit, temperamen-
tum aliquando inveniri posse, quo transigi inter dissenti-
entes negotium & ad concordiam redigi queat. Adhibito
certe ejusmodi temperamento componi non omnino dif-
ficulter posse inter se sententias, duobus tantùm exem-
plis, altero quidem ex Theoretica, altero ex morali Phi-
losophia deprompto experiri liceat. Constat videlicet
in Phycis circà formas rerum, homine excepto, magnas
moveri lites inter Peripateticos, & cæteros secundùm
Mechanicum processum pleraque deducentes. Peripa-
teticici, Latini præsertim, (de Græcis enim aliud à nobis
deinceps feretur judicium) omnem formam substantia-
lem esse contendunt, quam idcirco definiunt per substan-
tiam incompletam à materia realiter distinctam, quæ
materiæ, utpote substantiæ etiam incompletæ unita cor-
pus naturale constituat, omniumque harum operatio-
num primum Principium existat, concipientes eam, tan-
quam tertium aliquod, quod nec Spiritus sit nec mate-
ria, aliquid tamen materiale, in quantum à materia in es-
se, fieri ac operari penitus dependet. Mechanici vero
Philosophi in eâ communi sunt opinione, ut putent, ma-
teriam,

B 2

(rrr) *In præfat. Physicæ concil.* (sss) *In Physicæ generali p. 40.*

teriam, ex qua quæque constant corpora, esse unius modi, (tamen in definienda illa discrepent, dum Cartesiani per solam extensionem illam definiunt etiam spacium omne sub illa complectuntur, omneque vacuum implicare asserunt; Democritei verò, quos inter familiam ducunt *Joh. Chrysof. Magnenus* (ttt) & *Gassendus* (uuu) extensioni impenetrabilitatem addentes, vacuum implicare negant, illudque disseminatum potius ac inter atomos sive materiam in minimas particulas redactam interjectum esse docent); Omnem vero distinctionem & varietatem corporum ex motu, figurâ, situ, magnitudine aut aliis affectionibus profluere, ut forma rei cujusque nihil sit præter istorum accidentium complexum, rei constituendæ accommodatum. Videntur hæc primo intuitu adversis inter se frontibus concurrere, sed si moderamen utrique sententiæ accedat ac temperamentum, & à rigidiori utrinque opinione remittatur aliquid, concordia facilè ac conciliatio speranda est. Laboravit in hoc moderamine investigando doctissimus *du Hamel* (xxx) cujus eò tendit sententia, in excessu Peripateticos, in defectu verò reliquos versari. Aristotelici nimirum in eo abundare videntur, quòd rerum materialium formam omnem substantialem esse contendunt, cum formæ rerum vitæ expertium per istiusmodi *συνδεσμῶν* modorum partiumque materiæ magnitudinem, situm, &c. supposito principio externo perficiente mechanica ratione deduci satis possint. Recentiores verò, Cartesiani utpote ac Democritei sive

(ttt) *In Democrito revivisceme.* (uuu) *In Philosophia Epicuri, nec non Systemat. Physico primo operum Tomo inserto.* (xxx) *In Philosophia generali Tract. 1. c. 2. Conclus. 1. & 2. pag. 25. 26. 27. & de consensu ver. & novæ Philosophiæ lib. 2. cap. 3.*

rei sive Atomistæ, qui hîc in præcipuis quidem consenti-
unt, in eo deficere ipsi videntur, quòd etiam rerum vi-
ventium structuram per Mechanicas tantùm affectiones
citrà principium vitale internum explicari posse sperant.
Quæ ratio est, quare toties, Cartesiani præsertim, bruta
cum Automatis comparent, quod simili i. e. Mechanicâ
ratione moveantur, uti v. g. Nympharum imagunculæ in
Angliâ fabrefactæ, quas ferunt allucente sole cavernis su-
is exivisse, & in aquis lusisse; statim in latibula sua se re-
cepisse, ubi solis lumen ipsis ereptum aut obnubilatum
esset. (yyy) At enim viventium & præcipuè animalium fa-
bricam, organorum varietatem, usum, distinctionem ma-
jus quippiam esse contendit *Hamelius*, (zzz) quàm ut per
communes materiæ affectiones aut motuum Leges id o-
mne fieri possit, non quod ita affectiones magnum his
momentum non afferant, sed quòd illis omnibus deter-
minandis non sufficiant. Nunquam enim summum il-
lud naturæ artificium, quod in pulli v. gr. procreatione
cernitur, nec incredibilem partium varietatem, ordinem
usum, connexionem, ex iis quas *Cartesius* & alii asserunt,
motuum legibus intelligi posse aut animo comprehendi.
Cui sententiæ de admittendo ad minimum in viventibus
principio interno si adstipulari vellemus, invento tempe-
ramento, svavi inter se Syncretismo sententiæ illæ con-
currerent, tanto quidem facilius, ut speramus, à Mecha-
nicis impetrando, quòd promptiores eorundem nonnulli
sunt, ut peculiare quid viventibus à D E O contigisse lar-
giantur, admittentes illa certis seminariis rationibus, mo-
tuumque Legibus ac tendentiis sibi propriis instructa esse,

B 3

&

(yyy) Vid. Dn. Cypriani in contin. *Franzii* pag. 44. (zzz)
Physica gen. tract. 1. dissert. 2. Concl. 2. pag. 47.



& motorem seminalem in sinu suo gerere, à quo operationes vitales orientur. Quo concesso, utrinque in eo convenient Philosophi, dari in viventibus principium internum, & passivum, sive particulas movendas, & activum, quod cum corporeum etiam sit, particulis quippe aliis subtilibus & legibus motuum à supremo conditore instructis, constans, & materiale (retento jam proprio istius vocis sensu) & substantiale, imo & forma substantialis salutari merebitur. Tametsi id adhuc in Controversiam veniat, annon insitum hoc principium activum aliud commune & externum principium, à quo actuetur, excitetur & elevetur, & sine quo insufficientis sit motibus vitalibus præstandis, simul requirat. Circà quam litem conciliandam iterum animus despondendus esse non videtur, cum & illi, qui pro principio interno pugnant, commune atque externum, ut excitans, nequaquam rejiciant. Ita enim in ovo fecundo foetus producendi rudimentum licet etiam ante gallinæ incubationem jam tum perfectè adsit, quod cum *Swammerdamio*, (a) *Malebranchio*, (b) *Perraultio* (c) *Hamelio* (d) *Sturmio* (e) imprimis diligentissimus vir *Marcellus Malpighius* (f) observavit, qui & ista pulli rudimenta microscopii ope perfectè ibi, dummodo ovum non sit sterile aut subventaneum, cognosci posse affirmat; idemque licet in plantarum primo germine ac semine contingat, in quo arboris aut Plantæ stamina suis integrè conformata particulis, licet tenuissimis ac minutissimis, Microscopii ope distinctè concipi posse adseverant

(a) In *Miraculo Naturæ* pag. 21. & 22. (b) de *inquirenda veritate* lib. 2. c. 7. num. 3. pag. 48. (c) in *tentam. Phys.* Tom. 3. c. 8. p. 306. (d) *lib. cit.* pag. 34. (e) In *Phys. concil.* pag. 268. (f) *De format. Pulli in ovo* pag. 1.

rant ex propria observatione laudatus antea *Malpighius* (g) nec non *Rajus* (h) latentem tamen intus virtutem plasticam s. vim architectonicam caloris etiam externi, s. ignis & particularum ejusdem motu indigere, nec non, in plantis præsertim, aëris etiam pondere & elasticâ virtute adjuvari plurimum, haud facilè quispiam in dubium vocaverit. In foro cæteroquin morali, ut & alterum hic subjungamus exemplum, litigia complura circa fundamentum juris naturalis intercesserunt hæctenus, quæ etsi componere nostrarum nec virium nec instituti sit, quin tamen ab iis, qui à partium studio alieni sunt, ad conciliationem sententiarum aliquid conferri possit, nulli dubitamus. Equidem illorum, qui illud vel ex solius utilitatis intuitu (i) vel desiderio hominis seipsum, quâcunque illud ratione fiat, conservandi, (k) vel ex septem præceptis Noachicis (l) vel ex actibus, quos homines cum brutis communiter appetunt aut averfantur (m) derivare student, partes hic tueri, aut de consensu eorum parando laborare nolumus. Cum illorum interim doctrina, qui ad statum pristinae integritatis, nobis quidem ex revelatione distinctè, (n) gentilibus verò ex traditione & frequenti cum Hebræis commerciorum usu confusè & quadantenus cognitum (o) recurrunt, & ex concessâ primis parentibus imagine divinâ, quæ officia hominis in statu naturæ corrupto sint, determinare conantur, quòd aliorum

(g) *Anatom. Pant. ideâ pag. 9.* (h) *in Methodo Pant. novâ Sect. 3. pag. 8.* (i) *Epicur. & Gassend. Phil. Epicur. pag. 1527.* (k) *Hobbes. de Civ. c. 1. §. 7.* (l) *Hebræi, vid. Selden. de f. N. G. lib. 1. c. 10. pag. 116. seqq.* (m) *juxta Ulpian. l. 1. de f. A. f. def. f. N.* (n) *Dn. D. Alberti Comp. f. N. c. 1. §. 14.* (o) *Vid. Dn. Srimesius in Praxiol. Apod. & orig. Moral. passim.*

aliorum etiam opiniones, qui vel ex amore DEI & hominis (p) vel ex conformatione creaturæ rationalis cum conditore suo (q) vel ex relatione ad legem moralem (r) vel denique ex fine mundi conditi (s) Juris Naturalis fundamentum deducunt, facili negotio conciliari possint, plane persuasi sumus. Imò etiam Grotianam illam jam olim veteribus (r) laudatam sententiam de custodia societatis humano intellectui conveniente, hic tanquam fundamentum Juris Naturalis admitti & cæteris conciliari posse facili negotio, arbitramur, dummodo distinctiones illæ principii adæquati ac inadæquati, mediati ac immediati debite ac convenienter applicentur.

§. 5. Oportet autem illum, vel illos potius, (cùm laborum conjunctio, quam tantopere commendat illustris Verulamius (u) promovendo arduo huic negotio conducat maximè) qui Syncretismum isthunc feliciter aggredi cupiunt, certis quibusdam, & ad finem illum dextrè consequendum necessariis requisitis munitos comparere. Exigit enim genus istud studii prolixum satis apparatus, debitamq; in primis ac tum de rerum, quæ in controversiam veniunt, naturâ, tum de sensu auctorum genuino sufficienter instructam, omnibusq; præjudiciis ac cæcis affectibus vacuam, mentem, quâ sine nihil quidem præclari conciliator Philosophicus poterit moliri. Sectarum itaque

(p) Joach. Hopperus de art. Jur. l. b. 1. pag. 21. & Hugo de Roy. cit. à Boeclero in Gros. Prefat. pag. 8. (q) Dn. Zensgraf. de Orig. Jur. Nat. art. 6. §. 22. art. 9. (r) Calixtus Theol. Mor. de Lege pag. 60. vid. & Bæcl. lib. cit. pag. 4. (s) Lamb. Velthusius de princ. just. & decor. pag. 964. (t) Aristot. l. 1. polit. 1. 2. Augustino Doctr. Christ. lib. 3. cap. 14. (u) de Augm. sciens. lib. 2. pref. fol. 38.

que cum maxima ubique occurrat diversitas, diversus etiam proponendi sententias differendique modus, ut probè quidem hæc monente Cl. Vosio (x) in examine tot sectarum primum videat, quid quisq; dicat, cur ita dicat, quid adverse parti respondeat, eisdemq; perpensis dispiciat, an partes conciliari non possint, necesse fuerit. Hoc ipsum ut benè satis assequatur, lingvæ istius, loquendiq; rationem, quâ hic vel ille Autor utitur, ut percalleat, operam dabit, quippe quâ instructus notitiâ multum & juvari in genuina interpretatione potest, destitutus autem velut in illumi nocte oberrare cogitur. Latinis certè Aristotelis interpretibus, qui vel mediocri, vel planè nulla græcæ lingvæ cognitione imbuti ad scribendos in eundem Commentarios convolârunt, accidisse illud, ut hinc inde hallucinati sæpius, aliena maximè ab Aristotelis mente sub ejusdem nomine orbi obtruderent, & tot super illa institutis litigiis propugnarent, passim conqueruntur eruditi. Ita enim de semetipso loquens Cl. Thomafius (y) Ego, inquit, in *Physicis* quoq; Collegiis Aristotelem sum interpretatus, sed cum ipsum animadverterem dum undiquaque ruunt in eum hodie novatores, sæpius alienam Scholasticorum culpam luexe, (hi enim rarò mentem ejus aut attigerunt, aut fideliter transmiserunt nobis) quàm suam: adjutus lectione scriptorum, qui *Philosophicæ Historiæ*, quam à Scholasticis frustra mihi pollicebar, peritissimi, sensus ejus haut paulò accuratius mihi secluderent, in eo explicando non semel à vulgari semita recessi. Eodem nomine adversus Marii Nizolii cavillationes Aristotelem defendit Nizoliani scripti Editor G. G. L. L. (z) hunc palmarium in Nizolio notans errorem,

C

quod

(x) de *Settis Philosophorum* c. 21. p. 115. (y) in *Præfat. ad Physicam*.
 (z) In *Epist. cit. præmissa Nizolii de veris principiis philosophandi*.



quodd Scholasticorum vitia Aristoteli imputet, & modestiores viros *Johannem Picum, Leonicum, Rudolphum Agricolam, Ludovicum Vivem* convitiis laceffat, & adulationis infimulet, quod eximere Aristotelem conentur. conf. etiam *Vives* ipse (aa) *Celius Rhodiginus* (bb) & præcipuè *Tribbehovius*. (cc) Specimen quoque ejus rei luculentum in doctrina formarum exhibet sæpius à nobis laudandus *Cl. Sturmius* (dd) quomodo scilicet, cùm Aristoteles & Græci interpretes formas *ἰδέας* s. *essentias* cognominassent, per errorem Latini interpretes substantias h. e. res per se subsistentes indigitari crediderint, vocis ambiguitate turpiter delusi & inextricabilibus difficultatibus impliciti. Cùm enim neque spiritibus illas annumerare auderent, animæ rationali soli hunc meritò reservantes honorem, nec inter corpora locare vellent, ne ex principiorum numero excluderentur, medium quoddam genus substantiarum effingere absque exemplo coactos fuisse. Conf. etiam vir summus *Honoratus Fabri* (ee) qui vel ex hoc capite Aristotelis sententiam cum recentiorum doctrinâ exactè conspirare putat. Quo pacto etiam in *Metaphysicis* ex eadem lingvæ Græcæ ignorantia sub Aristotelis commendata nomine à Scholasticis fuerint, quæ illi in mentem fortè venerunt nunquam, ex *Sonero*, (ff) *Dreiero* (gg) *Piccarto* (hh) aliisque audire licet. Quibus gemina in morali ac civili Philosophia ab iisdem tentata aperuit profundiozem Aristotelicæ Philosophiæ sensum

(aa) *De corruptis Actibus* lib. 5. pag. 179. (bb) *Antiqu. lect. lib. 2. cap. 2.* (cc) *de Doct. Scholasticis* cap. 3. p. 56. & cap. 5. pag. 101. (dd) *In Phys. concil. pag. 31.* (ee) *in Physic. tract. 5. lib. 1. propes. 59.* (ff) *in instit. Metaph.* (gg) *in Philosophia prima.* (hh) *in Isagoge ad lect. Aristotelis edit. à Dirrio.*

scrutatus Cl. *Jacobus Thomasius*. (ii) Cum idiomatis interrim ac sensus inde per media Hermenevtica eruendi ratione arctissimè cohæret accurata principiorum, hypothesium modorumque demonstrandi in quocunque Auctore cognitio, quam ut sibi compareret felix Conciliator instituti, postulat ratio, utque ad eò probè observet, quod in hanc rem iterum Cl. *Vossius* (kk) suppeditat monitum: Utile esse scribens, ut philosophandi ratio ac processus in quòque Philosopho observetur, v. g. quòd Aristoteles prius refutet aliorum opiniones, quàm propriam exponat: quòd prius *Φαινόμενα* atque historiam referat, quàm causas inquiret; quòd questione proposità, antequam eam solvat, aliam inducat, atque ex ejus solutione etiam solvat priorem: imò & gaudeat multas adferre dubitationes, quas uno & eodem solvat responso: quòd mira brevitare contentus interdum ponere minus pronunciatum, omittat majus, atque item conclusionem, & id genus alia. Sed & præjudicia ac cæci amoris impetûs abesse cupimus ab eo, qui dextrè hîc *συγκριτικῶς* studet, cum ea demum, rectè quidem ita statuente *Sturmio*, (ll) præstantissima & homine dignissima sit philosophandi ratio, que secluso omni sive amoris sive odii affectu procedit. Nihil quippe boni aut idonei, quod ad hoc conciliandi studium facere queat, ab eo sperare liceat, penes quem vitia isthæc habitant, imprimis cum illa *Φιλονομία* & contemptum cæterorum, quos pari quis amore non complectitur, comitem secum trahere soleant, quo de præter *Clauber- gium*, (mm) agit etiam alicubi fusiùs *Dn. Præses*. (nn) Nec

G 2

iis

(ii) In *Tabulis Philosophiæ pract.* (kk) de *Philosophia* cap. 3. §. 13. p. 12. (ll) de *Philosophia Eclect.* pag. 28. (mm) *init. Philos. s. dubit. Cartes.* p. 185. (nn) in *Disp. de Judio mentis* §. 11. p. 31. 36. & de *indigna servitute Philosophi* §. 1. p. 1. 2. 3.



iis tantum instructos esse oportet mediis, qui temperativum illum Syncretismum inter variantes Philosophorum sententias introducere amant, sed ut in modo etiam ac forma conciliandi, quâ par est dexteritate utantur, attendendum maxime erit. Quod ipsum tum optimè fieri censebitur, si, quæ apparenter videntur esse pugnantia, habito ad intentionem Autoris respectu, præteritis λογισμαχίας, modestè componantur, in iis verò, quæ sibi revera adversantur, emolliendi solidis rationibus, occasio quaeratur. In priori instituto artificem se jam olim præbuit *Simplicius Phryx*, qui tam diversas veterum Philosophorum sententias, quas Aristoteles (oo) de rerum principiis adfert, non pugnare inter se ratus, de iisdem conciliandis maximè laboravit, in plerisque, censente *Vossio*, (pp) satis feliciter versatus. Utrumque autem modum præclarissimè persecutus est, quem frequenter allegamus, *Cl. Sturmivus*, (qq) à quo unum etiam atque alterum exemplum mutuo sumere placet. Materiam nimirum Cœli & Corporum cælestium Aristoteles cum sequacibus simplicem esse, nullique corruptioni obnoxiam contendit, quam sententiam etiam non ignobilis nostra ætate Mathematicus *Morinus* (rr) unâ cum explosa jam dudum adamantina cœlorum soliditate tuetur. In alia verò omnia abeunt hic recentiores cæteri, ex quibus *Ricciolus*, *Christoph. Scheinerus*, *Franciscus Reita*, *Bullialdus*, prolixis satis scriptis, *Kircherus* etiam & *Schottus* in prælusionibus suis Itineris ecstatici alique istam simplicitatem & ἀφρασίαν convellunt. Tametsi verò negari nequeat, veram esse recentiorum doctrinam, cum corporum per telescopium detecta facies aliud suadere

(oo) in 1. *Physic.* (pp) de *Phil. sect. cap. 12. pag. 116.* (qq) In *Physica conciliatr.* (rr) In *Astrol. Gall. lib. 8. sect. 3. c. 1.*

suadere videatur, atque insuper cometarum ad minimum quoad caudas & comas, quas de novo oriri & illi, qui cometas pro corporibus mundo coævis habent, utpote *Petitus, Auzutus, Casini* aliique, admittunt, macularum itidem generationes ac corruptiones partiales &c. innuant, cælestia corpora alterationibus esse obnoxia; commodum tamen sensum Aristotelicæ opinioni affingendo, & simplex dici posse cœlum ob substantiam ætheream & pelluciditatem ejus summam, & naturaliter incorruptibile, quatenus ordinaria in illo sidera naturæ viribus nec produci nec destrui possunt, Cl. *Sturmius* admittit. (ff) Caloris aliàs & frigoris definitiones Aristotelicas fastidiunt recentiores, sed illas per eorundem Hypotheses confirmari magis ac explicari eleganter idem declarat; totamque, quæ inter recentiores circa $\tau\theta$ positivum ac privativum frigoris intercedit litem, ex eodem Aristotele componi posse, præeunte tamen *Honorato Fabri*, (tt) & *Hamelio*, (uu) ostendit. (xx) In aëris motu tremulo & undulante, soni rationem distinctius ponunt recentiores, utpote *Cartesius*, (yy) *Claubergius*, (zz) *Gassendus*, (aaa) *Honoratus Fabri*, (bb) aliique. Sed cùm Aristotelici illum in qualitate ex motu & collisione corporum orta constare scribunt, nullum quoad rem dissensum esse demonstrat. Luminis actionem in pressione quâdam & nisu rectilineo tenuissimarum particularum ignearum â lucidis corporibus ad oculi fundum usque continuatâ consistere, colorum autem varietatem ex variâ luminis & um-

C 3

bræ

(ff) p. 149. (tt) *Tract. 2. lib. 2. Propos. 6.* (uu) *In Physica gen. Tr. 3. diff. 2. c. 3.* (xx) pag. 16. (yy) *Princip. parte 4. num. 94.* (zz) *Phys. contr. §. 248.* (aaa) *In lib. 11. Diog. Laert. iii pag. 273.* (bbb) *Phys. Tr. 3. lib. 2. propos. 34.*

bræin corpore opaco suis asperitatibus & cavitatibus instructo mistione oriri tradunt Recentiores, (ccc) sed istaquàm benè congruant ipsius quidem Aristotelis de Lumine, colore & perspicuo definitionibus, ex iis, quæ in cit. lib. (dd) prolixius differit, abundè satis elucescit. Et, ut nostrum etiam hic quaecumq; Symbolum conferamus, solet aliàs suggillari *Cartesius* (eee) ab adversariis, imprimis *Gassendo* (fff) *Mastrichtio*, (ggg) *Pitcarnio* (hhh) ob veritatis illud, quod dedit, *νεσθηερον*. *Quicquid clarè & distinctè percipio, illud verum est.* Et sanè si ita crudè prouti primâ apparet facie intelligendum, aut cum *Wittichio* (iii) & auctore *art. cogit.* quem *Arnoldum* faciunt, (kkk) pro principio & fonte universali omnis certitudinis agnoscendum foret, admitti illud vix a se ne vix quidem posset. At si justum modò temperamentum accedat, quod modestiores ipsimet Cartesiani suppeditant, qui nec sensum ejus reciprocum agnoscunt, & normam quidem esse largiuntur, sed subjectivam tantùm & inadæquatâ, quæ ad res divinas & superioris ordinis nunquam, & ad res quidem naturales, non tamen ad eorundem absolutam existentiam, nec ubique applicari queat, prout has & similes restrictiones exhibent *Joh. Claubergius*, (lll) *P. Allinga*, (mmm) *Samuel Andrea*

(ccc) *V. Rob. Boyle & Mariotte tract. de Coloribus. Grimaldus de Lumine, Color. & iride, Digheum de nat. corp. c. 29. p. 333. Senguerd. Philos. Nat. p. 1. c. 16. p. 120. aliique.* (ddd) p. 61. *Phys. Concil.* (eee) *in Medit. 3. & Respons. ad 2. obj. & part. 2. Epist. 60.* (fff) *In disquis. Metaph. adversus Cartes. pag. 68.* (ggg) *In novit. Cartes. Gangr. sect. 2. cap. 3. pag. 165.* (hhh) *In Anat. Cartes. pag. 31, 32, 33.* (iii) *Theol. pacif. cop. 3. §. 20.* (kkk) *parte 4. cap. 6. pag. 279.* (lll) *de cogn. D. & N. Exerc. 52. pag. 64.* (mmm) *Erot. Illustr. pag. 375. seqq.*

dree, (nn) & J. Laur. Crollius, (ooo) omnis cavillandi præscindetur occasio, cum in recensitis objectis, si perspicua satis ac distincta perceptio rerum, uti in se sunt, intellectum subeat, veritas ipsa objectiva, quæ & à nobis describitur per conformitatem intellectus percipientis cum re perceptâ, exurgat. Quo pacto cæteroqui primum illud Cartesii principium: cogito, Ergò sum, cum Aristotelicorum Principio: Impossibile est, idem simul esse & non esse, conciliari commodè possit, operosius deduxit in Altorffinâ Academiâ Phil. Prof. Rôtenbeccius. (ppp)

§. 6. Superest ut paucissimis, cum primas tantum in arduo hoc argumento lineas ducere libeat, *Conservativi* etiam *Syncretismi* circa diversas Philosophorum sententias occupati naturam ac modum exploremus. Apud Theologos aliàs *Conservativus Syncretismus* audit, mutua dogmatum & religionum inter se pugnantium tolerantia, donec aliquando ad liquidum omnia redigantur. Utut verò & hæc *Syncretismi* species, quatenus cum ecclesiastica fraternitate conjuncta est, improbari meritò in altiori Orthodoxæ doctrinæ foro soleat, quin tamen ejus aliquando inter discrepantes Philosophorum sectas haberi ratio queat, nulli dubitamus. Multa enim in Philosophia, præsertim Naturali se offerunt, quæ cum à sensibus remotiora sint, nec determinatam ac indubitatam animo notitiam ingenerare possint, meris saltem conjecturis subjacent, daturque eorum tanta copia, ut respectu eorundem non tam scientiam quam opinionem doctrinam Physicam salutandam esse arbitretur Philosophus Cl. Gerhar-

(nn) *In Exam. Cabbal. Philosoph. Diss. 2. §. 34.* (oo) *De norma veri judicii pag. 15. 16. 17. seqq.* (pp) *in pecul. differs. Anno 85. habita.*

Gerhardus de Vries. (qqq) Dantur videlicet in *Physicis*, ut eleganter etiam in hanc rem differit celeberrimus *Thomasius* (rrr) vortices quidam, quos circumnavigare possis, per-rumpere non possis; atque hos quidem prudenti consilio stauisse videtur creator, ut & natura mysteriis estimare disce-rent mortales arcana divinitatis, abjicerentque vesanum pro-positum, nihil credendi in sacris, nisi quod emetiri posset ratio, cum in rebus etiam naturalibus, multorum effectuum cause, multarum veritatum modi nos lateant. Quæ cum ita sint, modestiæ certè Lex nos admonet, ut in rebus obscuris, nec satis adhuc intellectui humano perviis, diversas inter se ac discrepantes sententias fallaci utrinque fundamen-to subnixas, æquo toleremus animo, nec vel suggillandi quadam libidine, quam & in Aristotele notat *Cl. Vossius*, (sss) vel ex λύσσα quadam ἐρισμῶς rabie contendendi, quam Megarensibus suis apud *Laertium* (ttt) instil-lasse fertur *Euclides*, in adversas forte nobis opinio-nes eadem cum nostris incertitudine laborantes, acerbius involemus. Præstat aliquando in rebus non satis perspe-ctis, & quas nec humani ingenii penetrare industria va-let, solenni illa in judiciis Romanorum, cum in obscura atque ambiguâ causâ versarentur, formula: *Non Liquet*, uti, & ubi variæ ac diversæ opiniones se offerunt, ἢ ἐπέχεν potius, vel, ut noviter conficito utamur vocabulo, *Neutra-litatem*, amplecti. Est enim *Neutralitas*, prolixius eam descri-bente *Dn. Daniele Clasen* (uuu) suspensio intellectus, quo incli-natio ad aliquam dubitantium vel dissidentium partem cohi-betur, nec, quid de utraque statui vel judicari possit, deter-mina-

(qq) In not. ad *Physiol. Voësi*. pag. 2. (rr) In præfat. ad *Phys.*
 (sss) de *Philosophorum sectis* cap. 17. (ttt) In *vii. Philosoph.*
 (uuu) *De Relig. Polit.* cap. 19. p. 516.

minatè declaratur, neque ulli parti acceditur, aut ab eâ receditur explicitè, sed cum neutrius offensione electa media via, assensus vel dissensus liberè prævio voluntatis actu, retrahitur. Hanc uti in causâ Dei, rebusque fidem nostram & salutem concernentibus, impiè ac turpiter ab iis, qui religionem, quam vocant, *Philosophicam* (de cuius indole vid. *Spizelius* (xxx) profitentur, eligi facile largimur *Clasenio*, memorabile illud *Petri Brederodii*, quondam unitarum Provinciarum Legati, dictum meritò commendanti: *Es gebühret keinem wahren Christen in Gottes seines höchsten Herren Sache Neutral zu seyn*: ita, quò minus in Sapia Hæmispherii inferioris de re dubia & obscurâ altercantibus sententiis Neutralitas interponi possit, nihil quidem, quod prohibere queat, comperimus. Nimirum, ut unico tantùm Exemplo rem paululùm illustremus, disceptant v. g. inter se Astronomi, quænam Cœlestibus corporibus in specie materia assignari debeat. Alius ex condensato æthere maximam partem illa constare putat, quam veterum Aristotelicorum mentem novissimè etiam sequitur *Morinus*, (yyy): Solem in specie alius, veteres quosdam imitatus, quos allegat *Ricciolus* (zzz) saxum quoddam ingens esse, variis mæandris & cavitatibus introrsum instar ossaturæ cuiusdam pertusum cum *Kirchero* (a) contendit. Ex auro vicissim liquido illum conflatum esse, ut ex alia metallorum specie reliquos Planetas, Saturnum v. g. è plumbo, Martem ex ferro, Mercurium ex Argento &c. conjicit *Honor. Fabri*, (b) iis quidem usus rationibus, quæ & *Cl. du Hamel* (c) assensum extorquere

D

potue-

(xxx) *De Atheismo crudicando* p. 12. (yyy) *Astrol.* l. II. c. 7. (zzz) *Almagesti novi* l. 3. c. 1. (a) *It. Ecstat. Dial.* I. c. 5. §. 6. (b) *Phys. tract.* 5. lib. 1. propos. 13. (c) *Astron. Phys.* lib. 2. p. 56.

potuerunt. Materiam etsi non eandem, atramen auro
 simillimum & ab intermisto copiosiori igne puro indissi-
 pabilem, Soli adscribit *Morhofius*. (d) In hac autem o-
 pinionum varietate quid consultius fuerit, quàm ἄδεν ὀεί-
 ζεν, cum inaccessible nimis & remotus astrorum situs nihil
 nobis certi de eorundem substantia concludere permit-
 tat. Unicam fortè Lunam, vicinissimum nobis sidus in-
 ter cœtera, postquam figuram ejus accuratè nobis depin-
 xit Magnus noster *Hevelius* (e) vix quisquam, simile tellu-
 ri nostræ corpus solidum esse, dubitaverit. Circa ma-
 culosam interim ejusdem faciem non conveniunt in-
 ter se Astronomorum filii, aliis inde, actualem montium
 Sylvarum, vallium in Luna existentiam, aliis probabilem
 colligentibus; vicissim aliis, quicquid id est novæ Levaniæ,
 funditus destruentibus. Equidem jam olim *Plutarchus*
 in scripto *de vultu Lunæ maculoso* hac de re differuit, Ter-
 ras nobis enarrans Lunæ & aquas, montes & valles, inco-
 las etiam, sed parvæ staturæ, quique cum pauci cibi sint,
 odoribus ferè vescantur, atque exhalationibus (*Tabaci e-
 tiam fumo*, subjicit huic recensione celeberrimus apud Ultraject.
 Philosophus *Gerh. de Vries* (f) illos nutriri asseruisset, si &
 herbam novisset, & mores nostrorum hominum). Sed quic-
 quid id est scripti, non ex seria animi sententia sed ingenii
 jucundo quodam lusu à Plutarcho editum esse, complu-
 res eruditi judicant, (g) prouti & fabulis accensendum
 esse videtur *Morhofio* (h) quod in vita Peireskii alterius fi-
 de narrat *Gassendus* (i) de Tubo Drebbelii, Diametri Pal-
 maris

(d) In *disp. de sole igneo* §. 8. (e) In *Selenogr.*
 (f) In *dissert. de Lunicolis subnexa Physiol. Voëtti* pag. 266.
 (g) apud *de Vries* loc. cit. (h) *de sole igneo* §. 2. (i)
 pag. m. 190.

maris, quo licuerit in disco Lunæ discernere campos, sylvas, ædificia, & munimenta locorum nostratibus non absimilia. Cui iudicio utut & nos subscribamus facile, tubum vix existisse unquam, qui id experimenti fecerit, arbitrati (de possibili enim sub hypothese, si quidem talia in Lunâ occurrant, ejus effectu litem non adeo movebimus vel *Cartesio* (k) vel ingeniosissimo *Micrographo Hookio*, cui ante annos haud ita multos cum *Auzuto* (l) super hâc re controversia intercessit;) nondum tamen de Maculis vel solaribus, vel lunaribus, quibus similes in Marte & Jove Nonnullos *Clar. Sturmius* (m), in Venere etiam per telescopia invenisse *Buratinum* testatur *Auzutus* (n) ita expedita satis res est, ut alterutri sententiæ adstipulari citra formidinem oppositi liceat. Nihil ergo hîc satius fuerit, quàm in re dubia distractas in partes sententias suo loco relinquendo, ad ἐποχὴν recurrere, doctamq; ignorantiam, sive ut eam vocare amat

Cl. Becmannus, (o) doctam Neutralitatem profiteri.

S. D. G.

(k) *Epistol. p. 2.* (l) *Vid. Ephem. Gall. ad ann. 66.*
 (m) *in Phys. Conc. pag. 169. 170.* (n) *In Epist. ap. Morhof. l. c. §. 4.* (o) *in lin. Doctr. Mor. c. 4. §. 17.*

CHRISTOPHORUS



D 2

Optima

Optima pax rerum: felix, qui jurgia tollens
Diverfos novit conciliare sonos.
Posse hæc in Sophico fieri sine crimine Circo,
Ingenii sistis quod meletema, docet.
Sic age, nec dubita, cedit Tibi culmen Honoris,
Quod solet egregius conciliare labor.

*Per Eximio Dn. Respondenti, Auditori suo
modestæ ac industriæ singularis nomi-
ne insigniter dilecto, quævis optata,
præsertim felices in studio Medico, cui
addixit animum, progressus ex animo
apprecatus scribeb.*

M. JO. CHRIST. ROSTEUSCHER.

P. P.

Antiqui Charites Musis junxere Sorores,
Tu quoque Judio jungis utrasque Tuo.
Ingenium Musas, Charites Tua gratia morum
Exhibet, ac hirtas non sinit esse Deas.
Surge age, da Specimen. Jam nunc Heliconis Alu-
mnas,
Et Charites Curis plaudere crede Tuis.

*Politissimo Dn. Responsuro, Auditori secus
suo Svavissimo, de pulchro Industriae
Specimine gratulatur*

CHRISTOPHORUS BESH/
Eloq. & Poës. Prof.

Pos

Bomona prangt izund mit tausend Obst-Gerüchten/
Sie stellet unsrer Lust sich dienst- und zinsbar ein.
Du prangest Wehrter Freund mit deines Fleisses
Früchten/

Und dessen kan diß Blat ein reiner Zeuge seyn.
Dein Ruhm und Nachruhm wird bey Welt und Nach-
Welt bleiben

So lang' ein Sterblicher wird Ehren-Zeilen schreiben.

Daniel Albrecht Schlieff/
von Danzig.

Non opus appensâ, VOGETI oculissime, VINO
Est hederâ: proba se Merx satis ipsa probat;
Ipse quidem referens quæ sunt collecta Sophorum
De Syncretismo, singula puncta meres.
Docta sat ingenii docet hæc Tua pagina flumen,
Ut rear huic hederâ non opus esse mero.

*O λοκαρδιως Prestantissimo Dno. Respondenti
Auctori, de egregio gratulatus Specimine
adjiciebat*

GEORGIUS FRIDERICUS DÖHRING,
Lesna - Pol.

Wer als die Sonnen-Blum stets Herz und Sinne
lencket/

Nach heller Jugend-Sonn als einer Führerin;
Durch unermüdeten Fleiß auff Ruhm und Ehre dencket/
Dem ist Verstand und Wiß gepräget in den Sinn.
Denn vor ihm muß der Schein der schändden Laster schwin-
den/

Das Irlicht falsches Glücks/in einem Nu vergehn.

Das

Das wanckelbare Glück läßt sich durch Tugend binden/
Und bleibet allezeit zu seiner Rechten stehn.
Wer sieht nicht/ Wehrter Freund/ Ihu Herz und Sinne
lencken
Auff Tugend/ da Er uns zeigt sein gelahrtes Blad.
Fahrt fort und lasset diß zum steten Angedencken/
Daß ihr betreten habt den rechten Tugendpfad.

Samuel Düsterwald/ Thorun.

Ad Perexim. Dom. Respondentem.

*Quisquis plus olei quam Vini absumere suevit,
Arida nec cujus mollis arundo fuit:
Is poterit summâ cathedram conscendere laude,
Et cedro dignos reddere voce sonos.
De Syncretismo dum differis arte Sophorum,
Absque labore probas non abiisse diem.
Tali perge cito metam contingere cursu
Sic aeterna Tibi Fama brabea dabit.*

CHRISTIANUS GOTTLIEB REUSNERUS,
Lign. Siles.



MAGNI
 DN. C
 Inclytæ Reip.
 DN. D
 E
 NOBILIS
 DN. A
 D
 NOBILIS
 DN. OT
 PLURIMI
 DN. M
 NO
 DN. J
 DN. C
 Centum
 DN. M
 Domina
 Disputationem

SIS, MAXIME
 ROEDERO,
 Schol. eminentissimo.
 LIEFFIO,
 trivisimo.
 SSIMO, CON-
 GMANNO,
 dentissimo,
 ELLENTISSIMO,
 DE GEDING,
 leberrimo.
 CLARISSIMOQVE,
 NOSPIO,
 ntissimo.
 MISQUE,
 BODEK,
 Antistiti.
 HEINIO,
 o honoratissimo.
 REESEN/
 oribus maximis
 dis.
 inscribit, suaque studia
 onsecrat
 smus cliens
 TIUS, Godanensis.

